



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 156. Vtrum eucharistia possit per se, vel per accidens co[n]ferre remissionem peccati mortalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

multi sumentes eucharistiam, non confitentur gloriam, quia ipsimet non se disponunt ad gloriam, sed potius ponunt impedimentum gloriæ.

QVAESTIO CLVI.

*Vinum eucharistia possit per se, vel per accidens conferre remissionem peccati mortalis.*

1. Videtur eucharistia neque per accidens posse remittere peccatum mortale, ac conferre primam gratiam: primò quia cibus, & potus neque per se, neque per accidens possunt viuificare mortuum; sed eucharistia est sacramentum per modum cibi, & potus; ergo.

2. Secundò sacramenta conferunt solum illos effectus, quos significant; sed eucharistia cum sit instituta per modum cibi, & potus, significat solum effectum nutriendi viuos, non autem nutriendi mortuos; ergo.

3. Respondeo tres esse præcipuas sententias. Prima sententia erronea Lutheri in concione de digna præparatione ad suscipiendum sacramentum eucharistiæ, & in libro de captiuitate Babilonica, capite de eucharistia, quam secutus est Caluinus lib. 4. institutionum, cap. 17. & Kemnitius in secunda parte examinis Concilij Tridentini, sess. 13. cap. 2. & 3. docet sacramentum eucharistiæ per se esse institutum ad remissionem peccatorum, etiam mortaliæ, adeoque non indignum, sed benè præparatum accedere eum, qui cum conscientia peccati mortalis ad eucharistiam accedit. Ratio huius illationis est, quia homo non indignè accedit cum conscientia peccati mortalis ad sacramentum per se institutum ad remissionem peccati mortalis: ex. gr. quia baptismus est per se institutus ad remissionem peccati mortalis, qui cum conscientia peccati mortalis accedit ad baptismum, non indignè accedit; ergo si eucharistia est per se instituta ad remissionem peccati mortalis, qui accedit ad eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, non indignè accedit.

4. Secunda sententia plurium catholicorum, quos refert, & sequitur Suarius disp. 63. sect. 1. docet, quod licet sacramentum eucharistiæ non possit per se conferre remissionem peccati mortalis, tamen potest illam conferre per accidens. Non conueniunt tamen auctores huius sententiæ in explicando, quid requiratur ad hoc, vt sacramentum eucharistiæ per accidens conferat gratiam. Aliqui dicunt sufficere, vt quis accedat ad eucharistiam bona fide, hoc est sine conscientia peccati mortalis, itaut qui existimat se esse in gratia, quamuis non sit in gratia, iustificetur, etiam si non præmiserit attritionem illius peccati. Aliqui, quos sequitur Suarius existimant requiri simul attritionem, & bonam fidem, adeoque neque iustificari eum, qui ac-

cedit ad eucharistiam attritus; sed cum conscientia peccati mortalis, neque iustificari eum, qui accedit sine conscientia peccati mortalis, sed non attritus.

5. Tertia sententia plurium, quos refert, & sequitur Vasquez disp. 208. cap. 3. docet eucharistiam neque per se, neque per accidens iustificare à peccato mortali.

6. Dicendum primò contra hæreticos: eucharistia per se non confert remissionem peccati mortalis, itaut ad talem remissionem, conferendam per se fuerit instituta. Conclusio est de fide, & probatur primò ex Tridentino, quod sess. 13. cap. 2. agens de effectu eucharistiæ, nullum alium ei effectum assignat, quam nutritionem spiritualem, præseruationem à mortalibus, & à quotidianis culpis liberationem; sed si eucharistia per se conferret remissionem peccati mortalis, concilium debuisset assignare etiam hunc effectum; ergo &c. Confirmatur: nam Concilium canone 5. eiusdem sessionis damnat eos, qui dicunt, vel præcipuum effectum eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire; sed si eucharistia per se conferret remissionem mortaliæ, procul dubio talis remissio esset præcipuus effectus eucharistiæ, eo pacto, quo remissio mortaliæ est præcipuus effectus baptismi, & pœnitentiæ; ergo &c.

7. Probatur secundò ratione. Si enim sacramentum eucharistiæ esset per se institutum ad conferendam remissionem peccati mortalis, esset per se institutum ad dandam, primò animæ vitam spiritualem; sed non est per se institutum ad dandam primò animæ vitam spiritualem, sed ad illam augendam, & conseruandam; ergo &c. Probatur minor. Cibus enim non habet vim dandi vitam mortuis, sed solum augendi, & conseruandi vitam in ijs, qui iam viuunt; sed eucharistia est instituta per modum cibi, & potus; ergo eucharistia non est per se instituta ad dandam, primò vitam spiritualem gratiæ homini iam mortuo per peccatum mortale, sed ad augendam gratiam, & vitam spiritualem in ijs, qui iam viuunt spiritualiter per gratiam. Ex eo, quod eucharistia sit sacramentum per modum cibi, non sit autem dispositus ad sumendum cibum, qui non est viuus, sed mortuus, sequitur, quod qui est in peccato mortali, non est dispositus ad sumendam eucharistiam, adeoque quod qui eucharistiam sumunt cum conscientia peccati mortalis, sumunt indignè, ac proindè iudicium sibi manducant, & bibunt.

8. Opponitur: in forma consecrationis dicitur, *hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; ergo signum est, quod eucharistia primò, & per se est instituta ad remissionem peccatorum, adeoque potest per se conferre remissionem peccati mortalis.

Respondeo, negando consequentiam. Aliud enim est, quod sanguis Christi fuerit

p p per

per se effusus in remissionem peccatorum, aliud est, quod eucharistia sit per se instituta in remissionem peccati mortalis; sed in forma dicitur solum, quod sanguis Christi fuerit effusus in remissionem peccatorum; ergo non potest ex hoc inferri, quod eucharistia fuerit instituta in remissionem peccati mortalis. Confirmatur: nam sanguis Christi est per se effusus in remissionem peccati originalis; ergo sequeretur eucharistiam esse per se instituta in remissionem peccati originalis, adeoque posset sumi etiam à non baptizatis ad obtinendam remissionem peccati originalis; quod aduersarij non admittunt.

9. Dicendum secundò: probabile est, quod eucharistia possit per accidens conferre remissionem peccati mortalis in casu, in quo quis illam sumit bona fide, & præmissa attritione supernaturali talis peccati. Hanc opinionem satis clarè insinuat S. Thomas hic qu. 79. art. 3. in corpore, vbi cum dixisset eucharistiam non conferre remissionem peccati mortalis in eo, qui ipsam suscipit cum conscientia peccati mortalis, addit. *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati mortalis dupliciter: vno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primò iustificatur à peccato; alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam non habet. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè, & reuerenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, qua contritionem perficiet, & remissionem peccati. Idem indicat in responsione ad primum.*

10. Probatum primò: nam ecclesia in quadam collecta dicit, *ut hoc sacramentum sumptum sit ablutio scelerum*; sed scelera sunt peccata mortalia; ergo eucharistia potest abluere peccata mortalia; non potest abluere peccata, quorum conscientiam habemus, vt dictum est conclusionè superiori, neque potest dici, quod abluat à peccatis mortalibus, ab illis præseruando: nam qui præseruatur à sordibus, propriè non abluatur; ergo sacramentum eucharistiæ potest per accidens abluere peccata mortalia antea commissa, quorum veniam petimus cum Psalmista, dicentes, *ab occultis meis munda me Domine*: ergo si quis bona fide, existimans se esse in gratia, accedit ad eucharistiam, præmissa attritione vniuersali omnium peccatorum mortalium, consequetur remissionem omnium peccatorum mortalium. Confirmatur ex pluribus Patribus citatis à Suario disp. 63. qui dicunt eucharistiam conferre remissionem peccatorum, non confert remissionem peccatorum, quorum conscientiam habemus; ergo eorum, quorum conscientiam non habemus.

11. Probatum secundò ratione. Nam licet eucharistia sit instituta per modum cibi, adeoque non sit per se instituta ad viuificandos mortuos, sed ad nutriendos viuos, tamen continet Christum, qui habet virtutem viuifi-

ficandi mortuos; ergo verisimile est, quod possit etiam mortuos viuificare; si mortui sunt dispositi ad recuperandam vitam spirituales, sed qui sunt in peccato mortali, si præmissa fuerint attritionem vniuersalem, ac bona fide sine conscientia peccati mortalis sumant eucharistiam, sunt dispositi ad recipiendam vitam spirituales; attritio enim est sufficienter dispositio ad recuperandam vitam spirituales per sacramentum poenitentiae; ergo &c.

12. Inferitur primò, quod ad hoc, vt eucharistia per accidens conferat remissionem peccati mortalis, non sufficit bona fides, sed requiritur, vt præmissa fuerit attritio. Ratio est, quia licet Christus existens in eucharistia habeat vim viuificandi mortuos, tamen viuificat solum eos, qui sunt dispositi ad recuperandam vitam spirituales; sed adultus, nisi præmiserit attritionem peccatorum mortalium, quorum est reus, non est dispositus ad recuperandam vitam spirituales; ergo sicut non iustificatur in sacramentis baptismi, & poenitentiae, quæ per se sunt instituta ad remissionem peccatorum mortalium, neque iustificatur per sacramentum eucharistiæ, quod non est per se institutum ad remissionem peccatorum mortalium, datur tamen eucharistiam mortalium, vt adultus in nullo casu obtineat remissionem peccati mortalis, quod non retrahatur per contritionem supernaturalem perfectam, vel imperfectam.

13. Inferitur secundò bonam fidem sufficientem ad effectum, de quo loquimur, consistere in eo, vt quis sumendo eucharistiam existimet inuincibiliter se non peccare mortaliter in tali sumptione. Siue igitur quis sumat eucharistiam bona fide, quia existimat se esse in gratia, seu sumat bona fide, quia licet existimet se non esse in gratia, tamen inuincibiliter putat licere sibi non existenti in gratia eucharistiam sumere, habet bonam fidem sufficientem ad obtinendam per accidens remissionem peccatorum, quorum attritionem supernaturalem præmissit.

14. Inferitur tertio eucharistiam posse sumi quatuor modis. Primò potest ita sumi, vt sumens recipiat effectum per se eucharistiæ hoc est augmentum gratiæ; secundò ita vt sumens recipiat effectum per accidens eucharistiæ, hoc est iustificationem, & remissionem peccati mortalis; tertio ita, vt non solum non recipiat effectum eucharistiæ, hoc est gratiam, sed etiam recipiat effectum contrarium, adeoque euadat reus noui peccati mortalis propter indignam sumptionem eucharistiæ: quarto ita, vt neque recipiat effectum eucharistiæ, neque effectum contrarium. Qui sumunt eucharistiam in statu gratiæ, recipiunt effectum eucharistiæ per se, hoc est augmentum gratiæ. Qui sumunt eucharistiam in statu peccati mortalis, sed bona fide, ac attritione præmissa, recipiunt effectum eucharistiæ per accidens, hoc est remissionem peccati mortalis. Qui sumunt eucharistiam mala fide, & cum con-

conscientia peccati mortalis, non solum non recipiunt ullam gratiam, sed recipiunt effectum contrarium: siquidem committunt nouum peccatum mortale sacrilegij per indignam sumptionem eucharistiæ, adeoque iudicium sibi manducant, & bibunt. Deum qui sumunt eucharistiã in statu peccati mortalis, & bona fide, sed non præmissa attritione, neque recipiunt gratiam, neque recipiunt effectum contrarium, siquidem propter bonam fidem excusantur à peccato indignæ sumptionis.

15. Ad 1. distinguo maiorem: cibus, & potus, qui nõ conuertit alitum in se ipsum per suam virtutem vitalem, sed solum est conuertibilis in alitum per virtutem vitalem aliti, non potest neque per se, neque per accidens viuificare mortuum, concedo maiorem; cibus, & potus, qui per suam virtutem vitalem conuertit alitum in se ipsum, & non conuertitur in substantiam aliti, non potest per se, neque per accidens viuificare mortuum, nego maiorem: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Cibus, & potus spiritualis eucharistiæ per hoc differt à cibo, & potu materiali, quod cibus, & potus materialis nutrit solum per hoc, quod à virtute vitali aliti conuertitur in substantiam aliti, sed non habet virtutem vitalem conuertendi alitum in ipsum cibum; at cibus, & potus eucharisticus non conuertitur in substantiam aliti per virtutem vitalem aliti, sed per virtutem vitalem Christi conuertit alitum in substantiam Christi: siquidem homo per cibum eucharisticum incorporatur Christo, ac magis vnitur corpori mystico Christi; ergo cum cibus materialis debeat conuerti in substantiam aliti per virtutem vitalem ipsius aliti; mortuus autem non possit vlllo pacto conuerrere cibum in suam substantiam, siquidem caret omni virtute vitali; cibus materialis non potest vlllo pacto viuificare mortuũ. At cibus eucharisticus per virtutem vitalem Christi conuertit hominẽ in se ipsum, illumque incorporat Christo; ergo potest per accidens etiam hominem mortuum viuificare, atque incorporare Christo. Confirmatur: nam licet qui caret gratia, sit spiritualiter mortuus, non tamen est ita mortuus, vt nõ possit per auxilia gratiæ actualis exercere aliquos actus supernaturales, quibus se disponat ad recuperandam vitam; ergo etiam potest manducare panem viuificum, & per accidens viuificari.

16. Infertur tertio, quod etiam alia quatuor sacramenta, nimirum confirmatio, extrema vnctio, ordo, & matrimonium possunt per accidens conferre primam gratiam, & remissionem peccati mortalis, cum præmissa attritione vniversalì, bona fide sumuntur in statu peccati mortalis. Et quidem quod sacramentum confirmationis per accidens conferat primam gratiam, docet satis expresse S. Thomas 3. p. quæst. 72. art. 7. ad 2. De sacramento ordinis, ac matrimonij videtur

Tom. III.

eadem ratio, ac de sacramentis eucharistiæ, & confirmationis. De sacramento extremæ vnctionis est maior ratio, siquidem effectus remissionis peccatorum insinuat per formam, in qua dicitur: *Indulgeat tibi Deus quid quid per visum deliquisti &c.*, & insinuatus fuit à Iacobo cap. 5. suæ epistolæ vbi dicit: *si in peccatis sit, remittentur ei.*

17. Ad 2. Respondeo, quod quia eucharistia est instituta per modum cibi, & potus, qui non conuertitur in substantiam aliti per virtutem vitalem ipsius aliti, sed per virtutem viuificam cibi conuertit alitum in corpus mysticum Christi, satis significat, quod licet per se sit instituta ad nutriendos viuos, illos magis, & magis incorporando Christo, ideoque non potest per se sumi in statu peccati mortali, tamen cum bona fide sumitur in statu peccati mortalis à subiecto per attritionem, disposito ad recuperandam vitam spiritualem potest virtute viuifica ipsius Christi viuificare mortuum, & reddere illi vitam spiritualem.

### Q V A E S T I O CLVII.

*Virum eucharistia remittat peccata venialia?*  
S. Tho. qu. 79. art. 4.

1. **E**ucharistia potest remittere peccata venialia, vt docet S. Thomas hic qu. 79. art. 4. & vt satis clarè insinuat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens, *sacramentum eucharistiæ sumi tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur*; ergo Concilium sentit eucharistiã non solum præseruare à venialibus, vt non committantur, sed etiam ab ijs commissis liberare. S. Thomas affert rationem desumptam, tum ex sacramento, tum ex re sacramento. Ex sacramento quidem, quia eucharistia est sacramentum institutum per modum cibi nutritis, ac reparantis id, quod in dies deperditur per actionem caloris vitalis; ergo eucharistia est instituta ad hoc, vt nutriat, & reparat id, quod quotidie deperditur per calorem concupiscentiæ; sed propter calorem concupiscentiæ incidimus in culpas veniales quotidianas, quæ minuunt feruorem charitatis; ergo eucharistia ex sua institutione habet vim reparandi feruorem charitatis, & remittendi peccata venialia. Ideo S. Ambrosius lib. 5. de sacramentis, cap. 4. dicit, *quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidiana infirmitatis*. Ex re sacramento probatur. Nam res significata, & causata per sacramentum eucharistiæ est charitas, non solum habitualis, sed etiam actualis; siquidem eucharistia excitat actum charitatis; sed actus charitatis aufert peccata venialia; ergo eucharistia aufert peccata venialia. Licet autem peccata venialia nõ sint cõtraria habitui charitatis, tamen sunt contraria actui, & feruori charitatis, ac proinde eucharistia, cum excitet actum charitatis, potest

P p 2 remit-